Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



ysa

et archana secretorum vt scias quia ego dominus qui voco nomen tuum deus
israhel propter seruum meum iacob et israhel electum meum Et vocauit
te nomine tuo assimilauit te et non cognouisti me Ego dominus et non est am-
plius extra me non est deus Accinxi te et non cognouisti me vt sci-
ant hii qui ab ortu solis et qui ab occidente quia absque me non est deus
Ego dominus et non est alter formans lucem et creans tenebras faciens pacem
et creans malum Ego dominus faciens omnia hec Rorate celi desuper et nu-
bes pluant iustum aperiatur terra et germinet saluatorem et iustitia
orietur simul Ve qui contradicit factori suo testa de testis terre Nunquid
dicit lutum figulo suo quid facis et opus tuum absque manibus est
Ve qui dicit patri Quid geneabis et mulieri quid parturis hec dicit
dominus sanctus israhel plastes eius Ventura interrogate me super
filios meos et super opus manuum mearum mandate mihi Ego feci terram
et hominem super eam plasmauit ego Manus mee extenderunt celum et omni
militie eorum mandauit Ego suscitauit eum ad iustitiam et omnes vias eius
dirigam Ipse edificabit ciuitatem meam et captiuitatem meam dimittet Non
in pretio nec in muneribus dicit dominus deus exercituum Hec dicit dominus deus
Labor egipti et negotiatio chyopie et Sabaim viri sublimes ad
te transibunt et tui erunt Post te ambulabunt vincti manicis pertran-
sibunt et te adorabunt te quia deprecabuntur Tantum in te est deus et non est absque te
deus Vere tu es deus absconditus deus israhel saluator Confusi
sunt et erubuerunt omnes simul abierunt in confusionem fabricatores er-
rorum israhel saluatus est in domino salute eterna Non confundemini et non
erubescetis usque in sempiternum seculum quia hec dicit dominus deus creans celum ipse
deus formans terram et faciens eam ipse plastes eius Non in vanum e-
uit eam ut haberetur formauit eam Ego dominus et non est alius Non in
abscondito loquutus sum in loco terre tenebrosi Non dixi semini iacob
frustra quere me ego dominus loquens iustitiam annuncians rectum Congre-
gamini et venite et accedite simul qui saluati estis ex gentibus Nescie-
runt qui leuant lignum sepulture sue et rogant deum non saluantem Al-
nunciate et venite et consiliamini simul quis audiuit hoc ab initio
et tunc predixit illud Nunquid non ego dominus et non est ultra deus absque me
deus iustus et saluans non est preter me Conuertimini ad me et salui
eritis omnes fines terre quia ego dominus et non est alius Per memetipsum
iurauit egredietur de ore meo verbum iustitie et non reuertetur quia michi